

Si historia Jesu Christi, quae in libris sacris traditur, vera non esset, auctores Novi Testamenti finxissent vitam et naturam (characterem) Christi. At naturam Dei-hominis fingere, eamque per conditiones vitae difficillimas et diversissimas consequenter depingere, tantum esset opus dramaturgicum (ut Hug recte dicit), quod vires non modo apostolorum et evangelistarum, sed etiam maximorum philosophorum et poetarum superaret. Et quod majus est, idea atque indoles Christi toto coelo differt ab idea, quam homines Judaei de sapiente, et sancto et de Messia eo tempore habebant. Exemplaria virtutum Judaeis eo tempore erant rabbini: Hillel, Šammaj, Gamaliel, legisperiti et pharisaei, Christi adversarii; Messias autem a Judaeis dux fortis et rex terrestris sperabatur. Ipsos apostolos constat opinionum et errorum vulgarium participes fuisse. Quantum autem ipsa doctrina fidei morumque Christiana omni rabbinorum et philosophorum sapientiae antecellat, comparatio ejus cum placitis Philonis, Talmudis, Socratis, Platonis, Senecae et aliorum docet. Et doctrinam hanc prorsus novam fuisse, tum odium internecinum Judaeorum, tum contemptus ac ludibria gentilium, tum persecutiones Christianis ab utrisque inflictas abunde probant.

e) Multa facta evangelica praeter scriptores Christianos etiam ab antiquissimis *scriptoribus* haereticis, Judaeis et gentilibus, item *inscriptionibus* antiquis confirmantur.

Justinus M., Epiphanius, Origenes, Eusebius, libri apocryphi fidedigniores, Josephus Flavius, Tacitus, Suetonius, Macrobius, Celsus, Talmud, multa in evangelis et Actibus tradita aliis fontibus usi memorant. Catacumbae, epitaphia et aliae inscriptiones Christianae atque ethnicae lucem ac vim historiae sacrae addunt. Hi omnes testes partim de factis biblicis directe mentionem faciunt, partim fidem et miracula primorum Christianorum referunt.

### § 101.

#### Theoria accommodationis et interpretationis moralis.

1. — Quum rationalismus ipse perspiceret, theoria fraudis historiam, sanam rationem sensumque Christianum vehementer offendi, aliam theoriam excogitavit, quae sine injuria fundatorum et primorum fidelium supernaturalia libris sacris eliminaret. Affirmavit ergo dogmata et miracula in Novo Test. esse meras accommodationes ad errores Judaeorum, ab interprete eliminandas; et solam religionem naturalem atque ethicam esse in S. Scriptura

quaerendam. Haec est theoria accommodationis et interpretationis moralis, quam deistae imprimis amplexi sunt.

Joan. Salom. Semler (1725—91.) S. Scripturam praesertim Ant. Testamenti collectanea esse dixit operum mere humanorum. Christum et apostolos veritatem quidem novisse; sed prudenti consilio, ut instar boni paedagogi populum sibi conciliarent et verae doctrinae viam pararent, falsis aetatis suae opinionibus et vitiosis Scripturae interpretationibus se accommodasse, errores approbando, miracula et exorcismos simulando. Omnes ergo doctrinas, tunc temporis apud Judaeos vigentes (de scriptis aequalium notas), tamquam a Christo adscitas meras accommodationes esse habendas, easque interpretatione *historica* e religione Christiana esse expungendas.<sup>1</sup>

Imman. Kant († 1804.) philosophus theoriam Semleri sub nomine interpretationis *moralis seu authenticae* uberius exposuit. De sententia Kantii religio naturalis tantum vera est et rationabilis; revelata est fictio, sc. dogmata, miracula et alia supernaturalia sunt ementita ad eum finem, ut hominibus indoctis causae motivae virtutum naturalium convenientes exhibeantur. Hinc essentia omnis religionis est ethica, quae sola vera, utilis, perfecta est Deoque digna. Religiones positivae multa imperfecta continent, quae accommodationes auctorum sunt habendae. Ita ant. testamentum est imperfectum, utpote ad primitivas hominum ideas accommodatum. Nec novum testamentum omni ex parte perfectum est, sed multas falsas doctrinas continet. Christus enim, ut religioni suae aditum ad Judaeos et gentes patefaceret, populi sui erroribus se accommodavit, eos probavit, vel saltem ita egit, quasi probasset. Idem fecerunt apostoli.

Itaque Kantius censet, doctrinam, praecepta atque facta Christi et apostolorum in libris sacris proposita, interpretis indigere, qui, quum Deus adiri nequeat, nonnisi ratio practica esse possit. Hujus ergo rationis esse, ut in S. Scriptura vera et Deo digna, scil. religionem et ethicam naturalem reperiat, eamque inquisitione philosophica ab accommodationibus falsis discernat, purget atque ita perficiat. Ut ergo sciatur, quid Christus revera senserit et voluerit, dicta ejus et facta cum dictaminibus rationis practicae conferenda esse, quibus si non consentiant, pro accommodationibus esse habenda ac rejicienda. Non enim de eo agi, quid Christus et apostoli dixerint, sed id esse quaerendum, quid sine respectu paedagogico dixissent, vel quid dicere debuerint.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Opera Semleri v. supra p. 26.

<sup>2</sup> Conf. Im. Kant, Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, Königsb. 1793. et 1880. Eandem interpretandi rationem adhibuerunt

2. — Quod ad *accommodationem* attinet, variae sunt ejus species, quae non omnes sunt probationes vel receptiones erroris, imo nonnullae species prudentes ac laudabiles.

*Accommodatio paedagogica* est, si magister tantum id et ita tradit, quod discipulus capere possit. Talis est Joan. 16, 12. I. Cor. 3, 1. 2. Hebr. 5, 12. sqq. *Rhetorica* est, quae aliorum verbis etiamsi falsis utitur. Talis *accommodatio* est citatio. *Moralis* est, si quis res indifferentes ratione habita conscientiae aliorum facit aut omittit, ne alii scandalizentur. Cf. Act. 16, 3. 21, 20. sqq. I. Cor. 8, 13. 9, 20. sq. *Dogmatica negativa* est, aliorum erroribus ex prudentia saltem directe et statim non contradicere. E. g. Act. 1, 6. sqq. Omnes istae *accommodationes* non sunt approbationes erroris; iis ergo quisque prudens et probus optimo jure uti potest ac saepe debet, et ipse Christus ejusque apostoli usi sunt. Verum abnegatio veritatis reprobanda est *accommodatio dogmatica positiva*, quum quis aliorum errores contra suam persuasionem approbat, profiteatur vel tamquam veritates tractat.

*Positive autem dogmatice nec Christus, nec apostoli se unquam alicui accommodarunt.* Etenim id excludunt *a)* doctrinae Christi natura, utpote quae Judaeorum ac gentilium opinionibus multis locis sit contraria. *b)* Propositum Christi. Ideo enim Christus Dominus in mundum venit, ut errores hominum corrigeret et testimonium perhiberet veritati (Joan. 18, 37.), non autem ut illam dissimularet. Eundem ad finem apostolos misit. *c)* Docendi modus polemicus. Christus Dominus etiam non coactus, modo cum scribis et pharisaeis, modo cum plebe acriter concertabat, doctrinam suam defendebat, argumentis confirmabat et adversariorum errores refutabat. (Matth. 15, 12. sq. Joan. cc. 5. et 10.) Ut ergo multis erroribus revera contradixit, ita certe etiam aliis restitisset. Idem apostolos inter Judaeos et gentiles fecisse constat. (Gal. 1, 8. 10.) *d)* Etiamsi Christus publice se accommodasset, verum doctrinae sensum saltem discipulis revelasset, ut nonnullam parabolarum sensum revelavit. Sed videmus eum maluisse ipsos discipulos amittere, quam doctrinam retractare vel mitigare. (Joan. 6, 61. 68.) *e)* Indoles et mores. *Accommodatio dogmatica positiva* est simulatio ac mendacium, quae characteri Christi et

J. H. Tieftrunk, Chr. W. Flügge, J. W. Schmid, D. C. F. Ammon etc. Quidam recentiores saltem ejectionem daemonum *accommodationem* habent. — Kantium autem impugnarunt acatholici: Eichhorn, J. G. Rosenmüller J. A. Noesselt, Keil, D. G. C. Storr et utique omnes catholici.

apostolorum repugnant. *f)* Fata Christi et apostolorum. Ideo enim persecutionem ac mortem passi sunt, quia se accommodare noluerunt, sed erroribus vitiisque omnium libere se opposuerunt. Qui favorem hominum captant et se etiam in dogmaticis positive accommodare sciunt, martyres non fiunt. *g)* Divina origo. *Accommodatione* et favore nonnisi opera hominum indigent, non autem religio a Deo instituta. *h)* *Accommodationes* quae praetenduntur, non sunt dogmaticae positivae, sed aliae vel plane nullae. Ita e. g. Matth. 9, 2. 11, 14. Act. 16, 3. I. Cor. 3, 1. 2. 9, 20. Hebr. 5, 12.

Christus ergo et apostoli ex animi sui sententia locuti sunt, nec per *accommodationem* aliquid acceperunt, quod philosophis corrigendum vel eliminandum committerent.

3. — Neque *interpretatio moralis* sanae menti probatur, immo praeter argumenta contra *accommodationem* allata, sequentibus refutatur.

*a) Falsum est, religionem tantum naturalem esse veram.* Imo vero Deus hominem ad finem supernaturalem destinavit, ei se modo supernaturali revelavit, instrumenta salutis aeternae positive instituit et omnia haec miraculis confirmavit. Supernaturalis autem hominis ad Deum relatio ita constituta efficit religionem supernaturalem, quae ergo veritas est, non commentum in gratiam ethicae naturalis fictum.

*b) Essentia religionis non est ethica,* sed cognitio finis supremi et directio hominis ad eum. Religio igitur non est merum subsidium virtutis, sed potius virtus est medium ultimi finis, religione revelati. Ipsa lex moralis virtusque sine supremo fine, ergo sine religione, sine dogmate, omni fundamento, norma, vi et sanctione caret. Categoricalis imperativus et gratuita probitas Kantii sunt vincula et motiva prorsus insufficientia, quae ratio ad libitum ponit, servat, mutat aut tollit.

*c) S. Scriptura utique interprete authentico indiget; at Deus non rationem practicam,* fallibilem, debilem, multarum opinionum matrem et saepe vitiis obcoecatam *S. Scripturae interpretem constituit,* sed ecclesiam infallibilem, traditione apostolica nixam. Ceterum ea Scripturae tractandae ratio, quam Kant introducere vult, interpretatio dici non meretur; non enim loquentis mentem quaerit, sed interpretis sententiam Scripturae ingerit.

*d) Antiquum testamentum* sine dubio multa imperfecta et quasi puerilia continet, imperfectae et puerili hominum aetati accommodata. Sed *imperfectio* illa non est nisi *relativa* sc. ad

novum testamentum comparata. Antiquum enim testamentum ideae suae ac fini per hanc suam minorem perfectionem maxime convenit, ergo relative perfectum est. Auctores Antiqui Testamenti profecto se accommodarunt, sed ingenio et conditioni lectorum, non autem eorum erroribus.

Antiqua salutis oeconomia praeparatio erat atque educatio (Gal. 3, 24.), quae si prudens sit, ingenii et conditionis alumnorum rationem habeat, oportet. Ideo Antiquum Testamentum pauciores et simpliciores veritates proponit, easque velut sensibus subjicit; praecepta autem motivis terrenis, potius poenis quam praemiis confirmat, -- ut prudens magister facere solet. Verum quod relative imperfectum est, falsum non est; sicut pars toto contraria non est, sed eo continetur. Falsa autem Antiquum Testamentum non continet.

e) Plane falso dicitur Novum Testamentum esse imperfectum. Christus Dominus expresse docet, *evangelium esse aeternum et imperfectibile*, cui nec iota vel apex sine periculo salutis addi vel demi possit. Apostoli autem docent, nec angelo de coelo descensuro aliter evangelizanti credendum esse. (Gal. 1, 8. 9.) Alioquin conatum illud rationis humanae, verbum et opus Dei emendare ac perficere volentis, per se ridiculum est.

## § 102.

### Interpretatio naturalis.

1. — Quum theoria accommodationis factis indubiis repugnet, alii interpretatione Scripturae naturali bonae fidei auctorum religionis nostrae atque scriptorum sacrorum consulere, et tamen miracula expungere tentarunt. Haec interpretatio authenticam librorum sacrorum concedit, at contendit sacros scriptores non miracula, sed facta mere naturalia tradere voluisse, eaque stylo imperfecto vel poëtico narrasse. Dummodo narratio eorum intelligatur, scilicet ubi opus sit, compleatur vel prosa oratione dicatur, omnia miracula disparere, et factum naturale remanere.

Auctor hujus theoriae in exegesi Ant. Test. est *Joan. Godefr. Eichhorn* (1752—1827.), qui sequentia docet. Primo omnem supernaturalem Dei actum: revelationem, inspirationem et miracula rejicit. Veteres ut ait, omnem novam cogitationem, omnem scientiam, artem, omneque somnium diis auctoribus adscribebant, et omnia immediate ad deos tamquam causas referebant. Fundatores religionum et thaumaturgi non sunt impostores, sed harum idearum puerilium ac poëticarum participes

et bonae fidei fautores. Sacri ergo scriptores non miracula narrant, sed eventus naturales physicos vel psychicos, »sub tropis mythologicis« et »stylo theocratico« descriptos. Narratione eorum tropis exuta et in linguam modernam translata, eventus naturalis apparet. Ita Eichhorn ex Ant. Testamento mythologiam Hebraicam fecit, libris tamen Novi Test. pepercit. Auctoritatem librorum sacrorum historicam (authenticam, fidedignitatem) initio non negavit. At quum videret facta supernaturalia ita sine manifesta inconsequentia negari non posse, *criticam biblicam* induxit, qua auctoritas Scripturae historica examinaretur, vel potius destrueretur.

Interpretationem naturalem in Novum Test. extendere coepit *C. Fr. Bahrdt* (1741—1792.); sed systema interpretationis Novi Test. naturalis perfectum Paulus composuit.

*Henr. Eberh. Gottlob Paulus*, professor Heidelbergensis (1761—1851.) essentiam religionis ethicam habuit, dogmata et facta non nisi morum subsidia, sine quibus religio etiam Christiana stare possit. Nihil contra leges naturae fieri contendit; Dei sapientiam, potentiam et bonitatem non miraculis, sed ordinario naturae cursu manifestari. Dogmata miraculis probari non posse. Morem fuisse veterum, ut omnia facta naturalia, quorum causam ignorent, causis supernaturalibus adscriberent.

In exegesi distinguendum esse inter factum externum et opinionem testium de facti causis, seu factum internum. Plurima quae narrantur, in anima (imaginatione et opinione) potius, quam in mundo externo ita facta esse. (Ist doch das Meiste, was der Mensch Thatsache nennt, inneres Factum.) Interpretis esse, factum merum ab opinionibus adhaerentibus, a specie supernaturali falso imposita purgare. Id fieri naturalem facti modum animo repraesentando, et narrationem circumstantiis explicantibus, ab auctore omissis complendo. Ubi haec ad miracula eliminanda non sufficiunt, corruptionem textus, vel aliam vocum significationem, vel minus rectam expressionem, vel errorem scriptorum esse praesumenda. Ita omnia fata et facta Christi apparere naturalia. Hanc interpretationem Paulus appellavit *naturalem seu psychologiam*. Attamen libros sacros authenticos atque in essentia fidedignos, et Jesum virum sanctum habuit.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> *Specimina* interpretationis naturalis. Zacharias, quum vehementi sobolis desiderio commotus sacris operaretur, in fumo altaris aliquid vidit vel se vidisse somniavit, quod angelum putavit. Tunc cogitationes animum occupantes proruperunt, quas voces nuntii divini existimavit, ad easque

Etsi systema interpretationis naturalis jam pridem in desuetudinem abiit; multi tamen rationalistae etiam recentiores (e. g. Renan) ad eam interpretationem identidem confugiunt.

2. — Optima interpretationis naturalis refutatio est ejus lectio, et risus, quem movet, et admiratio, rem tam jocosam serio dici. Nemo enim mentis bene sanae Biblia legens sibi persuadebit, auctores sacros, alioquin veraces ac sinceros, non miracula sed facta naturalia tropice narrare velle. Evidenter autem falsitas interpretationis naturalis demonstratur sequentibus.

a) Auctores biblici non solum talia narrant, quae miracula videntur, sed ea etiam expresse *ad causam supernaturalem referunt*, et ad ea (e. g. Matth. 11, 2—5. Luc. 7, 17—22. Joan. 5, 36. sq.) *ut argumenta* supernaturalia provocant.

b) Scriptores sacri facta naturalia a supernaturalibus *distinguere* et utraque ut talia narrare *poterant*. Nam iidem plurima

respondit. De visione autem aliquantulum dubitando, in poenam hujus culpa sibi usque ad nativitatem pueri usum vocis interdixit, vel se obmutuisse sibi persuasit. Filium autem mox natum ad illud munus educavit, quod ei praedestinatum credidit. — Angelus pastoribus apparens fuit vapor igneus terrae. — Stella magorum dicitur planeta fuisse (vel meteoros). — In baptismo Christi nubes, fulgur et columba casu apparuerunt. — Tentatio Christi fuit vel mere interna, vel imaginatio, vel somnium, vel fraus alicujus pharisaei. — Ad nuptias Canae celebratas Christus discipulos non invitatos adduxit, quo penuria vini facta est. Christus autem penuriam praevidens vinum praeparaverat, quod tempore suo adferri jussit. Hydriae tantum joci causa aqua impletae sunt. — Copiosa piscium captura casu vel conjectura facta est. — Tempestas non miraculo sedata est, sed venti per se repente siluerunt. — In deserto fame turbas urgente, Christus apostolis persuasit, ut panes suos aliis, qui nihil cibi attulerant, distribuerent, quorum exemplo permoti alii idem fecerunt. (Secundum Bahrtdt Christus in aliquo antro cibaria praeparaverat. Renan dicit a Christo simpliciter jejunium populo persuasum esse.) — Christus nummo in pisce invento scil. pretio piscis venditi tributum solvit. (*Aperto ore ejus* significat: aperto ore tuo sc. Petri ad piscem commendandum.) — Christus medicamentis, imaginatione et fiducia aegrotorum excitata vel fortasse magnetismo aegros ac morbos curavit. — Obsessio tropice epilepsiam significat. Porcos Gerasenos non daemonium intrans, sed ipse homo daemniacus scil. mente captus in mare pepulit. — Mortui resuscitati, e. g. Lazarus, tantum mortui videbantur, sed non erant. — In transfiguratione Christus cum duobus amicis primo mane ex conducto in monte convenit, tribus discipulis comitantibus. Quum viri illi moram facerent, Christus orare coepit, discipuli autem obdormierunt. Interim viri exspectati advenerunt, et apostoli evigilantes semisomnes viderunt Christum et duos viros, sibi fortasse ignotos, solis orientis luce collustratos, mox nebula obtectos. Antequam nebula dissolveretur, duo viri alteram in

facta naturalia describunt, nec illa colore miraculoso inducunt. Ceterum homines sanae mentis, quantumvis indocti, factis naturalibus sincere narratis, tales circumstantias et causas supernaturales affingere, quibus eventus supernaturalis appareat, non solent. Miracula autem in rebus quotidianis (pane, vino, caeco, aegrotomari etc.) contra leges naturae obvias facta, etiam a hominibus plebejis bene cognosci et a facto naturali discerni possunt.

c) Si partes narrationis tamquam tropi mythologici vel theocratici expunguntur, aliae mutantur, aliae circumstantiis explicantibus complentur: tunc *in omni relatione quodcumque libuerit, invenire*, vel potius ex omni narratione omne quod voluerimus, facere licet. Nihil enim inter duas res vel narrationes interest, nisi quod in una quaedam adsunt, quaedam absunt, quaedam aliter sunt atque in alia. Si ergo supernaturalia narrationibus biblicis expunguntur, et causae ac circumstantiae naturales inseruntur, quid mirum, si quod remanet naturale est?! Sed talis agendi ratio jocus ac lusus est, non interpretatio.

d) Magna est *inconsequentia* naturalia in Scriptura accipere, supernaturalia autem rejicere. Veritas enim narrationis non a natura narratorum, sed a fide testimonii dependet. Evangelistae aut fide digni sunt, et tunc omnia, quae tradunt, recipienda; aut fidem non merentur, et tunc tota eorum narratio rejicienda.

e) In usu interpretationis naturalis plurimae *difficultates* oriuntur.

E. g. dicunt capturam piscium fuisse naturalem. At Petrus et discipuli omnium circumstantiarum testes oculati eam miraculosam habuerunt, qui certe magis piscaturae in lacu Genesareth periti erant quam theologi rationalistae. Et quomodo discipuli praesentes, maris et

montis partem abierunt, quod apostoli non videntes, eos disparuisse opinati sunt. — Quum Christus in cruce mortuus esset, casu et fortuito terrae motus factus est, qui multa sepulcra aperuit. Cadaveribus, fors a bestiis ablatis, absentibus, populus mortuos resurrexisse suspicatus, eosque passim apparere imaginatus est. — Christus in cruce non est mortuus, sed tantum torpore affectus; in monumento autem reffectus et sui compos factus, per seipsum propriis viribus ex eo discessit. Angeli in monumento visi nihil erant, nisi velamenta relicta. Christus januis clausis discipulis apparuit, sed per se intelligitur circumstantia explicans, januas prius apertas esse.

Opera Pauli sunt: Philol. krit. und hist. Commentar über das N. T. Ed. II. Lübeck, 1804. sq. Das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Gesch. des Urchristenthums, Heidelb. 1828. Exeget. Handbuch über die drei ersten Evangelien. Heidelb. 1830.

ventorum gnari, tempestatem mirabiliter sedatam putaverunt, si omnia naturaliter etsi repente facta sint? Et nonne mirum est, ut ii post undeviginti saecula a viris, maris saltem illius ignaris corrigantur?

Imaginatione et fiducia Christus aegrotos sanavit? At imaginatio et fiducia (hodie certe suggestio diceretur) tantum functiones turbatas sanare possunt, minime autem organa et membra destructa restituere. Et Christus multos infirmos non ob eorum, sed ob aliorum, e. g. parentum fidem ac fiduciam et plane absentes sanavit. Falso etiam dicitur Christum medicamentis usum esse. Medicamentorum enim in evangeliiis nulla mentio, imo alia media memorantur, naturaliter insufficientia, atque ipsi sanati curationem pro miraculosa habent. Ceterum Christus tales morbos et talia corporis vitia sanavit, quae ne nostri quidem medici doctissimi medicamentis sanare valent. — Etiam resuscitati non nisi specie mortui fuisse dicuntur. At quomodo hoc testibus oculatis non in mentem venit?! Et unde scivit Jesus suscitandos specie non revera mortuos fuisse, quum ipse eos e. g. Lazarum nondum vidisset, et qui viderant, vere mortuos crederent. Et qui scire potuit eos ad vocem resurrecturos? Casu factum esse, ut omnes, quorum Jesus resuscitationem temere tentaret, specie tantum mortui essent, nemo certe sanus dixerit. Et tamen vel unum miraculi tentamen frustratum Jesum risui et contemptui exposuisset.

### § 103.

#### Theoria mythica.

1. — *Mythos est figmentum imaginationis popularis sensim ortum et inconsultum, plerumque miraculosum, quod aut historiam obliteratam ornat ac supplet, aut ideas et veritates humana specie induit, seu in forma personarum et rerum gestarum proponit.* Prior est *mythos historicus*, posterior *philosophicus*, ad quem etiam religiosus et moralis pertinet. His autem addere possumus *mythos physicos* et *linguisticos*, qui etiam in *philosophicos* sensu lato acceptos referri possunt. *Mythos physicus* est, qui res et eventus physicos (partes mundi, astra, elementa, montes, flumina, eorumque phaenomena) tamquam personas et earum gesta repraesentat. Saepe etiam *mythos meteorologicus* vocatur. *Mythos autem linguisticus* est, qui ex nominibus rerum persona humana indutarum historiam confingit. (Nomina fiunt numina.) Interpretatio autem *mythica* est, quae narrationes miraculosas Ant. Test. *mythos* *historicos*, *philosophicos* vel *physicos*, historiam autem evangelicam

*mythum* *historicum* et *philosophicum* habet, et ex his *mythis* *veritatem* *historicam* vel *philosophicam*, ceu *verum* *Bibliorum* *sensum* *eruer* *conatur*.

Specialiter interpretatio Novi Test. *mythica* *Straussii* praesumit, historiam Christi evangelicam esse *mythum* *maxima* *ex* *parte* *philosophicum*, ad exemplar expectationum Messianarum formatum, historiae obliteratae et incertae rabini Jesu pro Messia habiti, saeculis primo et secundo sensim atque inconsulto afflictum et demum post medium saeculum II. in evangeliiis conscriptum. Narrationem ergo evangelicam non tantum historiam supernaturalem non esse, qualem eam Christiani credunt, et quod jam antiquiores rationalistae negarunt; verum plane nullam, ne naturalem quidem historiam, sed *mythum* *esse*. Non esse ergo honori personarum evangelicarum, utpote qui non exstiterint, parcendum. Ita trilemma illud molestum: Christus fuit aut Messias, aut mente captus, aut impostor, declinari; Jesum enim nihil horum fuisse, sed rabbinum parum notum, Christum autem ex evangeliiis notum esse personam fictam.

2. — Jam *Christ. Gottlob Heyne* (1729—1812.) autumavit, mythologias esse antiquam gentium historiam et philosophiam (ideas, mores) symbolis indutam. Ejus est illud: a *mythis* *omnis* *priscorum* *hominum* *tum* *historia* *tum* *philosophia* (etiam religio) procedit. Ideo censuit narrationes antiquas involucris mythicis exuendas esse. Heyne quidem theoriam suam in populum Israel non extendit; at successores eam etiam in historiam sacram (Eichhorn in principium Genesis, Semler praeterea in historiam Samson et Esther, G. L. Bauer et Vater in totum Pentateuchum, De Wette autem in omnes libros *historicos* A. T.) extenderunt.

*Guil. Martin. De Wette* (1780—1849.) historiam populi Israel historiae aliorum populorum prorsus aequiparat, itaque etiam Bibliis, saltem parte eorum, mythologias contineri censet. Deinde Pentateuchum esse epos nationale Hebraeorum, *mythis* *refertum*.<sup>1</sup> Ad sententiam sustentandam De Wette introductionem *historico-criticam* scripsit,<sup>2</sup> quae quasi catechismus est theologiae criticae.

<sup>1</sup> *Mythi philosophici* dicuntur e. g. lapsus primorum parentum (origo mali moralis), diluvium, turris Babylonica, eversio Sodomorum etc. *Mythi historici*: exitus Israëliitarum ex Aegypto, legislatio Sinaitica, clades Sennacherib regis etc.

<sup>2</sup> *Lehrb. der histor. krit. Einleitung in das A. und N. T.* Editio recentissima A. T. ab Eberh. Schrader, Berol. 1869. et N. T. Berol. 1860.